

Exercitationem inauguralem de epilepsia / ... p. p. Christianus Etzlerus.

Contributors

Etzler, Christian, active 1690.
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Wittenbergae : Charact. Matthaei Henckelii, [1690]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nj53g6rx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

EXERCITATIONEM INAUGURALEM
DE

EPILEPSIA,
AUTORITATE

GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS
PRÆSIDE,
RECTORE MAGNIFICO

D. JO. GOTHOFREDO
BERGERO,

ANAT. AC BOTANICÆ PROF.
PUBL. ET COLLEGII MEDICI

h. t. DECANO,

PATRONO ET PRÆCEPTORIS SUO MAXIMOPERE COLENDO,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA
RITE CONSEQUENDI

P. P.

CHRISTIANUS ETZLERUS,
SCHLIEBENS. SAXO.

A. O. R. c I, I, c. XC. AD D. XXIII. APRIL.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SOLITIS.

WITTENBERGÆ,


Charact. MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



DE
EPILEPSIA

EXERCITATIO INAUGURALIS.

I.

fectionem illam,
qua æger prehensus, violen-
ta totius corporis, aut quarun-
dam partium, convulsione
concutitur, læsis una interce-
ptisque sensuum pariter ac
mentis functionibus, ἐπιληψίαν Græci nuncu-
pant. Latinis morbus caducus, a cadendo, & co-
mitialis dicitur, quod, autore *Celso*, laborantes in
comitiis, offenso ob multitudinis conspectum ce-
rebro, manifestabantur, dirimebanturq; ea, quo
die quis concidisset. Sunt tamen & alia plura no-
mina, quibus membrum affectum & magnitudo
morbi ac vehementia denotatur: Nam divinus
Apulejo & sacer *Tralliano* vocatur, forte, quod
sacram corporis partem mentisq; quæ longe san-
ctissima, sedem occupet ac difficulter & vix hu-
mana

mana ope qveat tolli. Quas ob causas etiam major & fonticus atq; Herculeus appellatur, multisq; aliis nominibus venit, quæ cuncta hoc loco persequi nostri non permittit instituti ratio.

II

Satis autem notum atq; laboriosum hoc morbi genus est, ac triste ipsius invasionis spectaculum: turpis & ejus solutio. Nulli quidem ætati parcat, maxime autem pueritiæ familiaris est & prima ac molliori ætate viget; quamobrem *Lucretio* primus & *Hippocrati* puerilis morbus audiit. Interdum subito & præter opinionem invadit, sæpius vero infausti quidam præcursores accessionem ejus atque propinquitatem annunciant. Capitis nimirum dolor atque gravitas, pallor faciei, hebetudines sensuum & insolens vel paulo ante gestorum oblivio, mensque suspensa, anxia & tristis, insolitus pavor, vertigo & longiores vigiliæ, aut plurimus, sed inanis somnus, turbulentæque insomniorum imagines, præludere ut plurimum solent huic tragædiæ. Frequentius etiam aures sonant & inarticulata tremulaque lingvæ motio præcedit, ut & caligo oculorum, visusque obtenebratio, aut scintillarum micæ præ oculis splendentes, circuli ignei circumlati, aut tenuissimæ obversantes nubes,

culæ, aranearumve telæ: aut volantes culices pusillæve aliæ bestiolæ, aut propendentia marmorum maculis similia marmarygmata. Immo & ventriculi cordisque palpitatio, & borborygmi ventris, ac hujus præcordiorumque inflatio, cum sternutamento & salivarum fluore, non raro præcurrunt. Nonnullis artus ingravescent, aut stupore quodam refrigerant tremuntque. Plerique ab aliqua particulari convulsione, vigentibus adhuc sensibus, præmonentur, cum auræ veluti cujusdam ascendantis ad cerebrum sensu. Instante accessione, æstuantis veluti maris murmur quoddam repentinum & sæpius fragor quidam interior percipitur, splendoresque quidam purpurei, aut nigri, aut omnes una permixti ob oculos in orbem versantur, ut in cœlo iris prætensa esse videatur; tumque vertigo & casus sequuntur. Quapropter qui jam averti sunt morbo, futuram ab experimento calamitatem prospiciunt & ex hominum frequentia fugiunt ad ædes suas, aut alium quempiam maxime notum, aut loca etiam desolatissima quærentes; idque faciunt præ timore ac turpitudine morbi.

III.

Qui enim sic apprehenduntur, sibi haud quaquam constant, sed repentino mentis nubilo plerique obtorpescent & moribundo corpore cessante

animo cadunt, mille convulsionibus miserrime se
 distorquentes: ignari tamen hujus tantæ sunt cala-
 mitatis, quippe quam sensus privatio intuendique
 sublata facultas abscondit. Non audiunt, non vi-
 dent & nihil quicquam tales intelligunt, judicant
 aut sentiunt. Motus omnes, tam ii qui voluntatis
 quodam nutu peraguntur, quam qui nullo illius
 præeunte imperio fiunt, mire perversi & inordina-
 ti, non solum in externis, sed in internis membris
 omnibus. Truncus corporis varie attollitur & ite-
 rum deprimitur, aut statuæ instar plane rigescit. Con-
 velluntur brachia, cruraque contracta adeo & con-
 cussa brevibus ex intervallis huc atque illuc jactan-
 tur, ut illa in quiete continere, aut distenta per vim
 explicare facile non sit: pollicum & digitorum arctis-
 sima est compressio, ut frangi posse potius, quam
 aperiri manus vola, aut diduci phalanges digitorum
 à valente quamvis homine, facilius videatur: cer-
 vix violente incurvatur & caput inprimis varie
 conqvasatur non sine horrore adstantium: non-
 nunquam enim pronum, ceu arcus, inflectitur, ita
 ut subinde pectori maxilla impingatur: nonnun-
 quam verò in scapulas refringitur, veluti iis, qui vio-
 lente crinibus trahuntur, usu venit: nonnunquam
 modo in hanc, modo in illam partem, ad humeros
 admovetur, & ad terram saxaque non raro allidi-
 tur:

tur. Facies etiam ipsa contorquetur varie: palpitant
malæ: oculi modo extra prominent & immobiles
sunt: modo convulsorie moventur, ipsorumque
adeft inversio, quæ sæpe perseverans etiam post ac-
cessionem strabos fingit ægrotantes. Os quoque di-
storquetur, aliquando magno hiatu distrahitur,
linguaque extra prolabitur, quæ aliquando denti-
bus illisa, quassatione vexatur, aliquando magno
vulnere fauciatur. Dentes interdum convulsorie
inter se colliduntur; interdum claviculati adeo sunt,
ut eos diducere sit difficillimum. Stertunt ægri &
in gutture stridorem edunt. Aphoni sunt, aut sub-
murmurant, obscuramque vocem & non articu-
latam elidunt: nonnunquam quiritantur & in vo-
ces querulas, imo cachinnos veluti quosdam effun-
duntur: interdum vero magnos clamores edunt &
immaniter vociferantur. Respiratio suspiriosa est
& suffocatoria, qualis laqueo suspensis. Cor vio-
lenter concuti & in sternum allidi, ventriculus & in-
testina vibrari, ceteraque denique viscera vario
divelli motu persentiuntur: micant tamen arteriæ
initio satis vehementer, sed cum frequentia & du-
ritie; in fine vero tarde & langventes: in univer-
sum autem ordine carentes. Aliquando pulsus &
respirationis cessatio observatur, mox per interval-
la resumtio. Sequitur in paroxysmi decursu, spu-
ma

mæ per os & quandoque etiam per nares fluor: interdum urina redditur, & alvus fluit ac genitura involuntarie excernitur. Ubi remisit morbus, omnium gestorum est ignorantia & nulla cognitio, membrorum segnities, dissolutio & langvor, capitis perseverat gravitas, lingua in sermone perplexa est aut titubat, dissoluti sunt, pallentes, obliviosi, ingenio torpidi, animo abjecti, timidiqve & mœsti, ob lassitudinem & verecundiam mali.

IV.

Et hæc quidem exquisitæ affectionis comitalis est idea, quam tamen causarum & corporum aliorumqve coincidentium diversitas, multifariam variare solet, ut non uno impetu, neqve pari atrocità, sed diversis symptomatis minoreqve interdum vehementia ægrum afficiat; cum nempe impetens cerebrum injuria graviori creandæ accessioni impar est, & brevem fugacemqve paroxysmum ciet, aut in limine veluti subsistens, imperfectum insultum parturit. Unde videas in leviori paroxysmo nec toto corpore convelli semper, neqve corruere omnes, quin aliquando quosdam titubando pedibus subsistere, & motu vacillante hinc inde discurrere ac variis inordinatis corporis motibus agitari, hallucinante solummodo visu, ceterisqve sensibus quasi deficientibus. At in perfecta consummataq;

epi-

epilepsia omnes rectrices functiones cessant, ac motus arbitrarius omnis tollitur, è contrario motibus involuntariis & convulsivis corpus cietur, imo potissima hujus affectionis idea in functionum principum abolitione & convulsorio corporis motu consistit, hisque genuinis signis à convulsione & apoplexia ceterisque affectibus soporosis distinguitur.

V.

Ex quibus omnibus clarum evadit, quoniam cum sensu universo ablato motus quoque omnis in toto corpore pervertitur, ipsum sensorium commune, sive principium sensuum omnium, motusque arbitrarii & animæ sentientis sedem, in hac passione præcipuè affectam esse. Cerebrum puto, cujus universa moles ex innumeris minutis glandulis, indeque profilientibus infinitis miræ tenuitatis & quibusvis aranearum telis subtilioribus, filamentis candicantibus, vario ductu flexuque mirabili implicitis, & demum distincto ordine in corpus universum & omnes ejus partes funiculorum instar exporrectis, tam affabre eum in finem contexta est, ut ministerio glandularum, ex delato per arterias carotides & vertebrales internas sanguine separentur recolleganturque intra niveas medullæ fibras subtiliores purioresve aeræ particule, & uno continuo atque

æqvabili flumine per totum systema nervosum musculosque & partes omnes diffundantur. Hic enim est animalis ille spiritus, cujus influxu per totum corpus præsens est anima, & cordis pulsatio ac vitalis ille sanguinis humorumque omnium circulus perennat, spiritusque in pulmonibus viget reciprocatio, & cuncta sensuum motusque instrumenta muniis suis funguntur : quamdiu videlicet iste mentis imperio subest, & elatere suo robur immittit fibris motricibus, plenoque fluens alveo sensuum organa ita vigorat, ut tactus ab objecto in sensoriiis externis per nervorum longitudinem mox ipsum in medullium cerebri redundet, & animæ sentienti deferatur.

VI.

At longe aliter se res habet, cum motus spirituum & emanatio e cerebro pervertitur, & animi imperium ac jussa detrectat. Langvet enim & perturbatur oeconomia corporis, partesque minus recte officium suum obeunt & tota non raro machina ruinam minatur; cum destituta elatere & vi motrice spirituum in semet ipsam concidit, & intercepto, quod animæ cum corpore intercedit, mutuo commercio, sine sensu, alto oppressa sopore, immobilis jacet, aut violentis membrorum tremulisque subsultibus & spasms concutitur, ob in-

interruptum conturbatumque & impetuosum spirituum motum, quem quia omnes in epilepsia primario læsæ functiones consequuntur, proximam illius passionis causam habendam esse existimamus.

VII.

Istum vero præternaturalem spirituum motum ad clariorem rei perceptionem illustrari quodammodo posse opinamur exemplo vorticum, quos aquæ concitatiores cursu in cataractas irruentes, & cum simul pertransire nequeunt, in gyrum versæ, solent describere. Simili namque modo flumen istud spirituum animalium in poros fibrarum medullæ cerebri obstructos impingens, & a tergo insequenti fluvio occurrens, reflecti & vorticoso quodam motu abripi videtur. Quam ob causam sensuum omnium perturbatio epilepsiæ accessionem præcedit & rotari omnia ob oculos circumposita videntur. Plerumque etiam tumultuantis spiritus murmur auditur, & sibilo aurium fragoreque quodam interno deluditur æger, eoque vel illi finitimo, qui tonante fulmine e nubis ventre prorumpit, vel illi affini, qui a torrente ex prærupto in declive delabenti editur, tanquam citissimus esset æger abruptissimis amnium cataractis. Et quoniam ita in vorticem acti spiritus, magna; vi

commoti, globosam cerebri figuram impetuosius inflant, & undiq; sibi exitum quærentes, inter obstructas fibras, veluti obstantes scopulos, quæ data via, erumpunt, moventur illi quidem, non arbitrio voluntatis, sed uti fert necessitas præcipitis illorum lapsus & derivationis, modo per has, modo per illas fibras, maxime inæquali impetuosoque influxu: Hinc quia in alios nervos liber spirituum commeatus intercipitur, in alios omnis illorum impetus fertur, necessum est, quosdam musculorum, qui virium humanarum sunt fundamenta & grave corporis sustentant pondus, spirituum inopia langvescere, alios additi elateri sui roboris ope ad motus inordinatos impelli, atque in præceps corruere hominem, aut potius prosterni, & huc illuc commoveri membra ac diversimode agitari. Prout enim spirituum influxus vel plerorumque nervorum, vel appendicis medullaris origines, aut hæc illæ tantum paria impetit, hinc nunc totius corporis, modo artuum, modo quarundam tantum partium, externarum vel internarum, graviores vel leviores spasmi motusque diversi convulsivi sequuntur. Inde verò omnis symptomatum reliquorum varietas pendet, quæ sæpe stuporis plena admirationem contemplanti pariunt. Sollicitata nimirum vi motus violenti spirituum, uri-

na,

næ, fœcum & genituræ receptacula, contenta sua
 injussa ejaculantur. Convulsi cum septo transver-
 so thoracis muscoli compressique pulmonum fol-
 les aerē per cannæ fistularis angustias diversimode
 & violente exprimunt & pro hujus vario ad dentes,
 lingvam, labia & palatum appulsu, varios clamo-
 res, vel ejulatus, aut cachinnos excitant. Saliva ex
 suis glandulis veluti per setaceum in palatum ex-
 pressa & ab aere æstu respirationis isto ultro citroq;
 commeante, succussa in spumam efflorescit ora-
 que & nares inundat. Inflat cum peritonæo imi
 ventri muscoli turgidaq; impetuoso spiritu mem-
 branacea & glandulosa viscera veluti in molem at-
 tolluntur & extumescunt. Et quia convulsis in-
 testinis necessum est quodammodo comprimi ex-
 primiq; flatus istiusmodi nauris familiares, & com-
 pressos pro suo ingenio sursum ferri moverique,
 hinc murmura illius ventris & tumultus, hinc tu-
 mor inflatioq; præcordiorum insignis & stupen-
 da, ut extare supra costas ventriculus quandoque
 cernatur, obsessus inquam distentusque flatuum
 impetu & copia. Hæc autem omnia nesciente a-
 nima fiunt, nec quicquam eorum laborans in pa-
 roxysmo externo sensu aliquo percipit, neq; prin-
 cipibus potentiis ulla superest libera operatio, ne-
 que expeditus præteritorum meminit, quia propter

obfessum sensorium commune turbatosque graviter spiritus, & convulsa sensoria externa, interrupta est convenientia, quam Deus inter motus spirituum in cerebro & varias mentis cogitationes posuit, ut neq; recipi possint, neq; percipi, quæ machinæ nostræ per objecta imprimuntur, neq; novū impetum mens conciliare valeat vel alio divertere impetuosius irruens cerebri & nervorū fluidū. Interposito autē tempore, sensim ad se redit & vires sumit animus, membrorumq; intentorū relaxatio sequitur, unaque quies sive cessatio vibrationum concussionumq; ex intervallis repetentium, ac per se ipsum tandem consurgit æger, cum dissoluta causa implens & qualibet vi de cerebri latibulis excussa in ventriculos confluit, & soluti ab humoris ferosi compedibus ac libertatem nacti spiritus se liberiorius expandunt & omnes cerebri meatus ac universum genus nervosum æqvabili, eoq; tranquillo & placido motu subeunt, atq; adeo reddito spiritibus libero com meatu, omnes partes cum sensum, tum motum recuperant.

VIII.

Inter causas antecedentes & internas primum tenet locum infirmitas & prava cerebri constitutio, quam communem omni epilepsiæ censeo, etiam

tiam illi, quæ per consensum five ventriculi, five hypochondriorum, five uteri, aut alius cujuscunq; membri, suboriri creditur; quæ veri specie, aliis judicandum relinquo, qui iusta rationis lance rem accuratius expendunt. Videmus non raro ventriculum gravissimis spasmodis agitari & vel vomitu, vel singultu, aut dolore acutissimo, fatigare ægrum, nunquam tamen tantam vim habere in communicando capiti malo, ut epilepsiam stomachicam, ceu vocant, excitet. Quodsi itaque hoc maxime nervosum organon & præ ceteris spiritu animali affluentissimum illius affectus autor esse nequit, quid erit sperandum de pollice manus, aut extremo pedis digito, à quibus tamen sæpius oriri insultus caduci & injecto istis partibus arctiori vinculo præcaveri posse, communis gravium Medicorum est sententia. Ita *Hollerius*, *Borellus* aliiqve, quos longa serie adductos apud *Cl. Deckerum in comment. ad praxin Barbett.* videre est, complura eorum exempla narrant, quibus ante totius corporis casum & concussionem, humeri articulus, brachium, sura, digitus in manu unus vel plures, aut pars aliqua in pectore cum auræ veluti cujusdam ascendantis sensu convellerentur gutta crampa, aut remerent. Nos venerari decet tantorum virorum autoritatem, tametsi eo non adducamur, ut cre-

credamus, epilepsiæ fomitem in articulo v. g. humeri, vel brachio aut digito pedis, aliave parte corporis delituisse suamq; noxam ad cerebrum, ex se insens & sanū, propagasse. Id enim omnibus fere epilepticis familiare est, ut ingruente paroxysmo, primo spasmus vel tremorem in parte quadam, interna vel externa, alioquin ex se sana & inculpta, experiantur. Quamobrem verosimilius, si quid recte sentio, videtur, istos particulares spasmos, epilepsiæ prodromos, non tam culpa partis & latentis in eadem mineræ morbosæ, quam ipsius consensu cerebri evenire, & instantis universalis convulsionis, sive incipientis irregularis & impetuosæ spirituum in cerebro motus, signa tantum existere, quo invadente jam cerebrum materia morbifica, spiritus propter obstructas quasdam origines nervorum, per alias potentiores majori copia in partem hanc vel illam impelluntur & propter vehementiorem appulsam atque mox supervenientem tremorem vel contractionem violentam partis reflexi, motu hoc suo undulatorio ad cerebrum propagato ingrati huic affectionem imprimunt; quo fit, ut de aura ascendente à parte convulsa ad cerebrum conqverantur ægri, & causam morbi per nervos vel vias alias illuc transmitti, vel spasmus saltem eo usque coninuari & epilepticam accessiorem excitare, Medicorum quidā sibi persvadeant.

I I X.

Videtur autem infirmitas cerebri potissimum in prava pororum figura & laxitate quadam glandularum fibrarumque consistere, quæ plus æquo aperti illarum pori non solum subtiliorem & defæcatisimam lympham, verum etiam aliam serosam materiam, instar apertioris cribri transmittunt, quæ si vel copia, vel crassitie, aut salium affluentia, aliasve ob causas impar sit minimis ac fere cæcis fibrarum meditullii cunctis meatibus subeundis, & eorum quosdam comprimendo, alios dilatando, liberum spirituum com meatum, quo in nervos tendunt, tollat, epilepsiam facile accersit. Quæ in primis causa est, quod pueris tam familiaris hæc sit affectio & iisdem fere connascatur, aut eos mox ab ipso ortu, cum adhuc humidissimi sunt & toti velut mucilaginei, frequentius invadat. In illa enim prima ætatula ob vix consistentis cerebri mollitiem abundanti serosæ colluviei facilior datur in tenellas & laxiores medullæ fibras aditus, & naturalis ille laticis nutriti per cerebrum transitus facillime præpeditur, quando aeris injurias experiri incipit, aut ex dentitione labores, vel alia quavis occasione *σάσις* & coagulationem patitur. Unde quibus in infanti puerilive ætate ulcera, pustulæ, & tumores, abscessusque in caput, in aures & reliquum corpus erumpunt, & salivoli mucosique existunt, ii fere im-

immunes sunt a sævo hoc pathemate, & procedente ætate facilius degunt; quoniam abundans humiditas educitur & confirmatio fit firmiorq; glandulosa cerebri compages. Idem ex ætatis mutatione evenire solet, utpote quæ sensim universum mutatur corpus, humidiq; redundantia absumitur & singularum partium figura atq; proportio indies stabilior & immobilior redditur, unde exhausta materia, cerebroq; ac nervis confirmatis, victoria sequitur. Aliquando tamen per id temporis non plane solvitur hæc passio, sed insuperata non raro persistat, & una quasi connutritur ac fere consenescit cum ægro, propter inemendabile cerebri vitium, intuitu cujus inter hæreditarias affectiones recensetur, & a parentibus vel etiam avis translata vulgo creditur.

IX.

At non semper a primæva constitutione, aut ortu, parvulis solum mali pendet origo, sed non raro etiam annorum progressu & quavis ætate exoritur: Tanta enim cerebri exquisita est structura, ut vitiato vel immutato leviter aere, ut innuebat *Hippocrates de morbo sacro*, illud inter ceteras partes primum consentiat, & diversum a se ipso reddatur: quod tamen frequentiq; sequitur & facilius, cum humores arteriis contenti externorum incongrua miscella, vel saltem vitiosa compage, aut copia sua & impetu, angustæ molliq; glandularum fibrarumqve cerebri fabricæ vim inferunt, ac ipsam laxant & penetrant. Quæ quidem ratione febres variolarum eruptionem præcedentes, sanguinis in male judicata febre recrementa, nec non plethoram sanguinis, & suppressas purgationes solennes & fami-

miliares, fluxus nimirum menstrui, hæmorrhoidum, urinæ, &c. epilepsiam concitasse legimus. A qua causa non mirum est, gravidas etiam mulieres affectibus epilepticis obnoxias vivere, quoniam sanguine menstruo non repurgato & parte ejus nutritia in fœtus alimoniam erogata, serosa in toto pars & proinde in capite superfluat oportet, unde facile compressio vel obstructio tubulorum cerebri, & hinc inæqualis spirituum influxus ac epilepsiæ insultus produci possunt. Eadem est ratio obstructionum in venis, a quibus oriri caducum sequenti *Aph. laudatus Cous l. c.* affirmat: *Sacer*, inquit, *morbis fit, cum obstructiones multis modis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur; atque hic quidem sistitur, ibi tardius permeat, alibi autem citius.* Id quod dilucide confirmat oppido rara ac digna notatu observatio *Cl. Jac. Sponii Aph. nov. ex Hipp. 9. Sect. 2.* qui circa Epileptici cadaver apertum alia inter notavit varios jugularium venarum ramos a muco viscido & tartareo ita obstructos, ut gypso viderentur infarcti: unde eleganter concludit, ob impeditam in ista parte circulationem, sanguinem & in primis serosam colluviem in cerebrum regurgitasse, & primo somnolentiam, deinde insultus epilepticos peperisse & e vivis tandem sustulisse hominem. Sunt & aliæ causæ internæ & ægritudines, e quibus lubricus est in epilepsiam transitus, quas gratæ brevitatis amantes hic consultò præterimus.

X.

Quod ad externas & evidentes hujus pathematis causas attingit, illarum aliæ temperiem cerebri & fabricam affabre factam lædunt & immutant, aliæ serosam colluviem gi-

gnunt aut impellunt, aliæ spiritus nimium commovent & turbant: Quare aut affectionem de novo creant, aut paroxysmos excitant. Tales sunt, quæ sequeuntur: Prava victus ratio, & nimia ingluvies, viniqve injurgitatio, quæ sanguinis exuperantia & caco-chymia generatur, arteriæ cerebri infarciuntur, hujusque glandularum tonus laxatur & pori aperiuntur, ut serosam colluviem in medullares fibras transmittant. Hinc facile in pueris hoc venit malum a copia & crassitie lactis, & si nutricem lactent succi plenam & vini potatricem, sæpe enim adversa valetudo lactantis, temerata eâ, quæ felix lactentis erat. Immodica aut assidua venus, & maxime si intempestiva fuerit, ventriculo sc. aut nimium repleto, aut famelico; ea namque cerebrum præ ceteris membris maxime lacescit ac fatigat, & universa in eo contenta vehementer agitat, ipsiusque ac nervosi generis robur dissolvit, cum nihil magis illa spirituum animalium penu & florem lymphæ exhauriat. Nimum otium, & deliciosa vita, & somnus nimius, dum serosam in toto & cerebro colluviem accumulunt. Exercitatio vehementior, ubi plethoricum caco-chymicumque corpus offenderit; fusi enim agitatiqve humores ad cerebrum impetum faciunt. Diuturnæ vigilæ, vehemens & diu intenta applicatio in cogitando, studendo, loquendo, aut disputando: Cujus rei inter alios testis esse potest *F. Petrarca*, qui dum chartis impallesceret & libris immoreretur, miserum hoc stipendium consecutus est, ut subinde epilepsia laboraverit, sicut nobis reliquit *Hieron. Gabucin.* Idem expertus est *Diodorus Grammaticus*, de quo *Galenus* commemorat, eum epilepsie

psia paroxysmis illico correptum fuisse, si vehementius intradendis egisset præceptis, aut altius, siue acutius cogitasset, veletiam in ediam diutius esset passus, aut iram minus inhibuisset. Præ ceteris vero animi pathematibus, repentinus terror, aut subita consternatio, quia spiritus majorem in modum percellunt atq; a solito influxu avertunt, ita commovere homines possunt, ut protinus in epilepsiam incidant. Quæ culpa passionem hanc frequenter efficere, siue excitare solent, malum nuntium subito adveniens, horridum atroxve spectaculum, bombardæ aut tonitru fragor, aut tubarum subitus clangor. Huc etiam pertinent contusiones & vulnera capitis. Mora sub sole & circa ignem diuturna : exuperans frigus : pluviarum multitudo : repentinæ aëris ad contraria mutationes. Ventorum vehementia, præsertim si australes fuerint; Austri enim caput plurima replent humiditate & superfluitates agitant. Ad ultimum vero omnia, quæcunque caput implent, siue bono, siue pravo odore excellent, quia morbum detegunt & accessionem excitant, hunc causarum censum subeunt. Ceterum recensendis aliorum opinionibus hic lubentes supersedemus : Nam stimulum & irritationem a sale acri non admittere videtur mollissima cerebri structura, in primis vero recens natorum, cujus adhuc tam teneræ partes, ut vix sibi ipsis hæreant. Explosionem vero spirituum *Willisianam* explicandis in epilepsia occurrentibus phænomenis omnibus accommodatam maxime atque aptissimam fatemur, modo desumpta a pulvere pyrio similitudo illa Naturam omnino ἐμὸς ψυχῆς haberet.

XI.

Illud autem tum ex membri affecti præstantia & dignitate, tum ex affectionis natura & magnitudine, satis luculenter patet, magnam esse & diram calamitatem epilepsiam: Pueros namque pulchritudinis invidia perdit, nec non & alios deformes efficit, juvenes & adultos; quosdam strabos oculorum conversione reddit; quibusdam faciem torquet, aut manum inutilem reddit, aut sensum aliquem prorsus aufert; aliquos in melancholiam, aliquos in furorem adigit: nonnullos vero prorsus infatuat: aliquando etiam in apoplexiam aut paralyse[m] migrat. Diuturna est affectio, ratione constitutionis, peracuta & pernicio[s]a ratione paroxysmi, quandoquidem non raro una accessio hominem rapit. Recens autem affectus profligatu facilior. Mitior quoque ac debilior ea, in qua mites, brevesque sunt paroxysmi, libera spiratio, symptomatum paucitas, quando & excitantibus medicamentis facile cedit paroxysmus. At antiqua epilepsia ægre sanescit. Summe pervicax ac pene desperata, quæ ab ineunte ætate consenuit. Fortis ea, quam anhelitus comitatur difficultas: In epilepsia enim sicut in aliis affectibus soporosis, periculi magnitudinem etiam ex anhelitus nocumento conjicere oportet; quare cum spirationem vehementer impeditam, difficulterque procedentem videris, vehementem esse epilepsiam ac perniciosam conjicere debes. Perimescenda valde illa, in qua æger subito corruit cum clamore forti ac dentium stridore, in qua stertor & anxiosa respiratio, ever[s]io partium faciei, vehemens ac diuturna totius jactatio, concussioque, in qua spumæ copiosa reje[ct]io, genituræ excretio, urinæ & stercoris fluor; quæ post

vehementem agitationem, quasationemq; in altam quie-
tem definit, & totius corporis diurnam refrigeratio-
nem ac stuporem, exhausto animali spiritu. Acutissima
& cito interimens, quæ symptomatum vehementiam &
paroxysmorum assiduitatem habet. Illa demum despe-
rata, in qua mens graviter læsa est, aut æger attonitus.

XII.

Cum igitur tam grave & periculosum sit malum e-
pilepsia, ad curandum id omne studium conferendum est.
Aliter vero præsentis paroxysmo subvenimus, aliter affe-
ctionem radicitus extirpare conamur. In paroxysmo
scopus est, serosam colluviem, quæ caput obsidet, dissol-
vere & dissipare, ut apertis reseratisque cerebri meatibus,
spiritus ad consuetum motum redeant, cessentque proin-
de mala, quæ vel longam infirmitatem, vel interitum mi-
nabantur corpori; pro quo obtinendo scopo, quæ sequun-
tur, moliri expedit. Paroxysmo detentum lucido con-
clavi, ac modiocriter calido locato, sublimiori capite, ut
humorum momentum deorsum vergat & liberior eva-
dat respiratio. Alta voce proprio nomine æger incla-
mandus & movendus sensus est. Convulsas distortasq;
partes manibus perunctis molliter tractando demulce-
re convenit ac dirigere. Os ligneo cuneo aperiendum,
lingua quoq; reducenda & à dentiū illisu arcenda; pro quo
perquam exiguus ex ruta, vel salvia sacculus dentibus inter-
feratur, ut anhelitus sit facilius & spumanti salivæ exitus
pateat: quæ deterfa infundantur cum aqua fl. tiliæ vel lil.
convall. spirituosæ, aut epileptica Langii guttulæ aliquot
spi-

spiritus Θ ci simpl. vel castoreati, vel salis alterius volat. puri, aut olei & aromatici, quibus nihil propemodum efficacius esse ad excitandos spiritus, tuendumque humorum circulum, multiplicibus seculo nostro experimentis deprehensum est. Sunt enim salia ista maxime mobiliū & tenuissimarum partium, quæ corpore receptæ, in universam sanguinis massam & intima corporis penetralia statim eluctantur, & hærentes in cerebro humores ad motum debitum instigant & impellunt, quo fit, ut facilius in sinus illius & ex his per infundibulum ad glandulam pituitariam atque sanguinis oceanum devolvantur. Quin & solus eorundem Θ ium odor mirifice expectatos reddit spiritus & epilepticos opportune excitat solaturque. Quare etiā naribus admoveantur Θ es vol. aut vapor solummodo immittatur salinus & penetrans, ex commistione Θ ci & salis tartari, aqua simplici solutorum, concussoque vitro excitatus. Lingvæ extremitas & fauces fricentur balsamo rutæ aut alio forti apoplectico. Eadem & temporibus illinantur, & ad radicē narium. In quem usum etiā juvat ruta castoreo mixta & cū aceto acerrimo trita. Quin & vesicantibus pone aures, & femoribus ac brachiis apposis, nec non glandibus & clysteribus acrioribus, sternutatoriis, capitis frictionibus & id genus aliis, uti licet, sed cum ratione & iudicio: Nihil enim spernendum, nihilque temere faciendum.

XIII.

Superato paroxysmo, spes omnis prophylaxeos, sive præcautionis epilepsiæ, in emendanda totiꝝ colluvie serosa, & à capite avertenda, tum in cerebro roborando & læta ipsius temperie ac conformatione restituenda consistit. Sic enim mor-

morbi radix funditus evelletur. Colluvies vero in toto
 emendabitur, si & redundantia ejus, & dyscrasia, aut im-
 petus causarum habeatur ratio, pro quarum quidem va-
 rietate, curatio instituenda. Igitur siue adsit sanguinis ple-
 thora, siue purgatio aliqua naturæ solennis suppressa,
 semper curatio à V. S. auspicianda est; quæ quæ parte in-
 cidenda sit, suppressa evacuatio determinabit. Post
 missionem sanguinis primas vias ab excrementis liberare
 convenit, ne sc. in illis cruda, aut vitiosa, aut multa ma-
 teria congeratur & inde in sanguinis massam & ipsum ce-
 rebrum redundet. Quapropter nunc vomitoriis, inter
 quæ antimoniatæ præstant, eliminanda e ventriculo sabur-
 ra excrementorum, nunc purgantibus stimulanda sunt
 intestina, ut ejiciant contenta præternaturalia & elicia-
 tur è plexuum glandulis ac ipso pancreate conglomerata
 circumflua cum sanguine serosa colluvies. Quod qui-
 dem sæpius & per intervalla moliri expedit, interpositis
 subinde leniter incidentibus & attenuantibus, ob con-
 tumacem humoris viscidæ naturam, ipsiusque successivam
 regenerationem. Purgantia vero selecta sint ex Jalapio,
 scammonio, colocynthide & similibus parata, quibus
 mercurius dulcis, ob vim egregiam, quæ pollet, viscidum
 resolvendi expurgandique, addatur. Laudanda quoque
 infusa ex rad. helleb. nigr. agarico, turpetho, fol. sennæ
 cum herbis & floribus alterantibus & aromaticis. Pur-
 gato, ut decet, corpore, veniendum ad ea, quæ ipsam
 sanguinis massam depurant, & materiæ serosæ reliquias
 aut sensibilibus evacuant, aut per halitum discutunt, ce-
 rebri temperiem & poros emendant, ipsique robur con-
 ciliant, tum intrinsecus assumpta, tum extrinsecus adhi-
 bita. Quod attinet ad interna, efficacissimum est præ-

sidium decoctum qvajaci, sarisaparillæ, chinæ, cum sas-
 safr. Indica, majorana, melissa, salvia, betonica & stœcha-
 de, hyssopo, rad. angelicæ & pæoniæ, aut aliis huic affe-
 ctioni conferentibus aromaticis atqve cephalicis, per plu-
 res dies ebibitum, juxta consuetam normam & debitam
 victus rationem. Quo vero tempore sudores dimanant,
 tonso capiti, prius deterso sudore, adhibeantur fac-
 culi ex herbis floribusqve cephalicis, baccis lauri contu-
 sis, succino & ligno aloës, quorum usum quovis etiam
 alio tempore probamus. Inter diaphoretica, lympham cor-
 poris depurantia, merito numeramus antimoniatam fixam, sul-
 phura nimirum antimonii, sicca, vel soluta, quæ tincturæ &
 olea vocantur, antimonium diaphor. bezoardicum mine-
 rale, simplex vel compositum, solare, lunare, joviale &
 martiale, ut & cinnabarina, antimoniatam nempe & na-
 tivam purissimam, quam epilepsiæ magnetem magnus
Crato vocavit. Sunt & multa alia, quæ ore assumpta
 comitialibus opitulantur, quatenus serum crassum & tor-
 pidum attenuando, quietem humorum in partibus im-
 pediunt, aut nimis fluxile & aqvosum salesqve peregri-
 nos imbibunt, invertunt & educunt, perspirationem ce-
 rebri totiusqve corporis promovent, & illius poros leni-
 ter constringendo debitam tum glandulis, tum fibris ce-
 rebri structuram restituunt. Huc igitur spectant omnia
 medicamenta, sale fixo, vel volatili, eoqve liberiore, vel
 particulis terreis, aut oleosis & aromaticis varie intermix-
 to, gaudentia. Ex innumeris, præter superius enume-
 rata, præstantiora sunt & usu probata, aromata gratiora,
 herbæ, radices, flores cephalici & fragrantés, semen ly-
 copodii, viscum corylinum & quercicum, myrrha, cor-
 nu cervi, ebur, cranium humanum & hujus, usnea, se-
 cun-

cundina humana, unicornu marinum, cornu & ungula
alcis, dens equi marini, apri, mandibula lucii pisc. casto-
reum, lapides cancrorum, lap. bezoar, lapides pretiosi,
corallia, succinum; ex quibus parati spiritus, olea, tinctu-
rae, elixiria, pulveres & alia composita multa extant, plu-
ra artificiose componi possunt, omnia tamen cum ratio-
ne moderando, juxta causae & subjecti diversitatem.

XIV.

Inter externa praesidia primatum obtinent brachiis
inusta cauteria, per patentes enim ibi fontanellas deri-
vabitur scaturiens in cerebro serosa colluvies. Salutare
etiam auxilium praestat, non pueris modo, sed & adultis,
inustio in occipitio, quippe quae proximius eandem deri-
vat & evacuat. Aliqui in inveterato jam malo in ipso
capite, nempe prope suturam coronalem, cauterium ad-
movent, aut in circuitu capitis ulcuscula candente ferro
excitant, non contemnendo juvamento; quemadmodum
beneficio cauterii juxta suturam coronalem admoti bi-
nos epilepticos se restituisse, *Carolus Piso* refert, *libr. de*
morb. à serosa colluv. p. m. 153. Ad hunc scopum commen-
danda quoque vesicantia pone aures, nec non apophle-
gmatisantia & errhina, quorum amplam apud practicos
sylvam reperies. Cerebri vero temperie & tonum corrigunt
aquarum thermalium stillicidia supra commissuram co-
ronalem. Capitis lotiones ex decocto quajaci cum ser-
pillo, calamintha, hyssopo, roremarino, salvia & simili-
bus, addita, si videatur, odorati vini portione. Cucu-
bitur item, pileive ex rubro santalo intersuti, cephalicis
isque similibus referti. Uctiones quoque supra
et osum caput & spinæ initium, ex oleo ruta-
co, amaracino, costino, nardino, anethino, de

castoreo, de succino, philosophorum, de benzoïno, de styrace calamita, & quæ consimili facultate pollent; adjectis item ab unctione cephalicis pulveribus. Amuletis utatur, qui velit, nos iisdem parum fidimus. Atque hæc generalis est comitalem curandi ratio: Quæ vero speciatim facienda, periti Medici prudentiæ committenda sunt.

XV.

Quantum ad Diætā attinet, aer purus sit, serenus & temperatus; vitetur humidus, crassus, nebulosus & odoribus comitalem excitantibus infectus. Victus sit attenuans & probi succi, facilisque solutionis, cuius quippe tanta est utilitas, ut epilepsias parvas quidem & etiamnum incipientes penitus sanet, inveteratas vero ac consummatas valde juvet, quare contraria ei incrassans victus ratio maxime fugienda. Motus corporis sit moderatus & convenienti tempore instituatur. Animi hilaritas maxime aucupanda. Ablegandæ curæ, sollicitudines, mœrores, meditationes contentionis plenæ atque ecstaticæ, timores tum in aliis, tum vel maxime in puerulis, unde hac nota & crimine *Plato l. 2. de rep.* damnat, pueris narrare timorem terroremve incutientes fabellas, aut aliter terriculamenta confingere. Omnium exteriorum vehementium motuum sensus cavendus. Vitetur Venus, utpote quæ summe noxia & non inepte ab *Hippocrate* parva epilepsia nuncupata est. Somno etiam modus ponendus, neque interdiu aut statim a cibo, sed noctu capiatur. Nec supinus æger dormiat, siquidem hinc morbus gravissime excitatur. Excretiones omnes rite procedant, nec unquam soli relinquantur ægri, ne præter spem prehensi, in aquam aut ignem præcipientes dentur, aut rei duræ allisum caput aliudque membrum frangant.